



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Documenta ad interpretandos Patres, & alios Doctores. cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Documenta ad interpretandos
Patres, & alios Do-
ctores.

CAPVT XIV.

I.

Quoniam in Theologia scholastica est frequens usus loci ab autoritate Patrum, & aliorum Autorum, magna cautela adhibenda est in sententijs eorum referendis, aut interpretandis, ne aut iplis immerito errorem tribuamus, aut nos ex illis hauriamus, ut contingit nonnullis, qui patrum dicta, quæ piè & Catholicè explicari possunt, ad sensum erroneum interpretantur. Ad vitandum verò vtrumque periculum duo obseruanda sunt, alterum cum Scoto in r. d. 3. q. 5. §. De intentione, & quodlib. 7. §. Sed quia nulli, nempe, ut nulli auctori, nedum sanctis Patribus tribuatur sententia falsâ vel absurda, nisi ab ipso expressè asserta fuerit, vel ex dictis eius euidenter deducatur: alterum cum D. Thoma quodlibet. 3. quæst. 4. ar. 2. post D. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana, ut in rebus dubijs ad fidem pertinentibus non facile cuius assensum præbeamus, sed ad certas fidei regulas recurramus. In reliquis autem facilius sine periculo Autorum dicta sequi possumus. Verum ad propriam eorum mentem assequendam, vel sententiam amplectendam iuuare possunt sequentia documenta.

II.

Primum est, ut discernamus ea, quæ ab ipsis contentione studio & calore disputationis dicta sunt impugnando certos aliquos errores, aut respondendo argumentis certo alicui dogmati contrarijs: tunc enim respicientes ad institutum proprium, non curant plura alia, quæ ab aduersarijs dicuntur, & quasi permittendo ea relinquunt, quia non consistit in ijs ipsorum controuersia, & in huiusmodi dictis excusandus est potius lapsus, vel in bonam partem interpretandum obscure dictum Auctoris, quam in patrocinium peruersæ sententiæ adducendum, hoc modo Beatum Gregorium Thaumaturgum, cum à quibusdam reprehenderetur, quod in expositione fidei dixerit, Patrem & filium iuxta mentis quidam considerationem duos esse, hypostasi verò vnum, excusât Diuus Basilus epistola 64. di. cendo, hoc non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione contra Aelianum gentilem dictum: & paulo post subdit, Sanè qui gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa vera exactius disputandum esse, sed alicubi consuetudinem eius, quem ad fidem inducit,

Basilus.

non nihil condonat, dummodo principalibus, ac necessarijs non reluctetur: quare & multas illic inuenias voces, quæ iam hæreticis plurimum addant roboris, semper itaque attendendum id quod ex instituto traditur, & ex propria auctoris sententia extra cōtentionem disputationis dicitur, ut fecit Magnus Athanasius in libello de decretis Nicenæ Synodi agens de Origene, de quo sic loquitur: Quæ disputandi, certandi, gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita senserit, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt, accipiendâ sunt, post illa ergo, quæ certandi gratia quasi in palestra aduersus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit. Hæc Athanasius defendere volens doctorem, etiam in multis alijs ab Ecclesiâ reprobatis, quod multo æquius fieri debet, si quando aliquid simile in probatis Patribus & Auctoribus reperitum fuerit. Obseruanda itaque semper erit mens & intentio scriptoris, an scilicet ex proprio sensu loquatur, an ex eorum, cum quibus disputat, permittens nonnulla quasi ad institutum parum vitia, ut propriam causam vigeat: sapissimè enim Doctores nē in omnibus hæreant, & ad exitum propositæ disputationis nunquam perueniant, multa prætermittunt, quæ alioquin non essent prætermittenda: nec ab ipsis donantur, ut vera, sed relinquuntur, ut non necessaria.

Athanasius.

III.

Alterum documentum huic ferme simile est, sæpè Doctores in impugnandis hæresibus ipsarum odio & seruiore disputationis nonnunquam in aliud extremum inclinare, non quidem sententijs, sed verbis obscuris, quæ interpretatione indigent. Ita Augustinus disputans contra Pelagianos pro gratia Dei visus est nonnullis negare liberum arbitrium, ut constat ex epistola ipsius ad Valentinum, quæ est 46. & ex cap. 1. libri de gratia & libero arbitrio ad eundem Valentinum. Ita Hieronymus disputans contra Iovinianum nuptias virginitati æquantes, inuenit detractores ac reprehensores, ut videre est in apologia ipsius ad Pammachium initio, ubi sic ait, Reprehendunt me quidam quod in libris, quos aduersus Iovinianum scripsi, nimius fuerim, vel in laude Virginum, vel in sigillatione nuptiarum, & auiunt condemnationem quodammodo esse matrimonij vitium pudicitiam prædicare, ut nulla videatur inter uxorem ac virginem comparatio derelinqui, huiusmodi autem sententiæ obscuræ non sunt trahendæ in patrocinium alterius erroris, sed ad mentem Autorum piè & Catholicè explicandæ, ad quod iuuerit ipsorum mentem ac doctrinam com-

Augustinus.

Hieronymus.

pertam

pertam habere, ut ex eodem loco, vel alij
eorundem libris ostendamus eos verè, ac
Catholicè sensisse, ita uterque ex citati-
Doctoribus præstitit: nam Hieron. in tota
illa Apologia nihil aliud præstat, quàm osten-
dere se in eo ipso libro contra Iovinianum
commendasse nuptias tamquam donum
Dei, & statim initio præmonuisse se non
sectari dogma Marcionis, ac Manichæi
nuptijs detrahentium, sed ita eas recipere.
ut virginitatem illis præferat: & post multa
subinfert: *igitur cum toties, & tam crebrò
lectorè admonuerim, & per singula penè tracta-
tum millia cautus viator incessem, me ita re-
cipere nuptias, ut eis continentes, viduas, virgi-
nesq; præferrem, debuerat prudens, & benignus
lector, etiam ea, quæ videntur dura æstimare
de cæteris, & non in vno, atq; eodem libro crimi-
nari me diuersas sententias protulisse, quo fanè
documento debuissent omnes vti, non vo-
cando propter obscure dicta in suspicio-
nem hæresis viros doctos, & Catholicos,
qui eo ipso libro damnant hæreses, qua-
rum arguuntur. At vero D. August. va-
rijs opuscul. præsertim citato libro de gratia,
& libero arbitrio eam occasionem
sustulit ostendens, quomodo simul co-
hæreant necessitas gratiæ, & liberi arbitrij,
& quoniam ex scriptis eius de gratia qui-
dam non benè sumpserant occasionem ne-
gandi liberum arbitrium, primis tribus ca-
pitibus totus est in eo probando ex scriptu-
ris, & nè rursus ex hoc alij crederent, non
esse vllam gratiæ necessitatem, rursus, cap.
4. huic periculo occurrens sic incipit, *sed
metuendum est ne ista omnia diuina testimonia,
& quacumq; alia sunt, quæ sine dubitatione sunt
plurima, in defensione liberi arbitrij sic intelli-
gantur, ut ad vitam piam, & bonam conuersa-
tionem, cui merces æterna debetur, adiutorio, &
gratiæ Dei locus non relinquatur, &c.* Deinde
vero probat gratiæ necessitatem, & eius cum li-
bero arbitrio consensionem. Itaque hæc om-
nia co tendunt, ut ne sanctorum Patrum
dicta in vnius hæresis confutationem su-
mantur in oppositi erroris patrocinium,
sed cautè, ac piè secundum doctrinam Ca-
tholicam exponantur.*

IV.

Tertium documentum est, ut obser-
uemus tempora, & ætates, quibus singu-
li patres floruerunt, vel scripserunt, &
quibus hæreses sunt exortæ. Etenim ante
hæresum singularum principium auctores
de ipsarum materia scribentes, non viden-
tes vllum in ijs rebus periculum simplici-
ter loquebantur, nec tantam moderatio-
nem adhibebant, quantam adhibuissent, si
iam hæreses exortæ fuissent: ideoque sem-
per eorum dicta sunt explicanda ad nor-

nam fidei Catholicæ: nec in fauorem hæ-
resum adducenda, quod documentum
rectè obseruauit Hieron. Apologiæ ad-
uersus Ruffinum, lib. 2. *Antequam in Alexan-
dria, inquit, quasi demonium meridianum
Arius nasceretur, innocenter quedam & minus
cautè locuti sunt, & quæ non possint peruerforum
hominum calumniam declinare, ideoque Aria-
ni, ut asserit Iustinianus imperator in con-
fessione fidei, quæ habetur post 2. Concilium
Toletan. abutebantur dictis Dionysij
antiqui Alexandriæ Episcopi. Quia hoc
documentum non obseruauit Pelagius ex
tractatibus antiquorum Patrum loquen-
tium de libero arbitrio sumpsit occasio-
nem tribuendi ipsi absolutam benè agen-
di potestatem absque auxilio gratiæ, ut
colligitur ex libro D. Augustini, de natu-
ra & gratia contra Pelagium, & ex lib. 1.
retract. cap. 9. nam cum ante Pelagium
non fuisset hæresis negans necessitatem
gratiæ, fuisset autem hæresis Manichæo-
rum, Priscillianistarum, & aliorum ne-
gantium liberum arbitrium, Patres aduer-
sus hos disputantes simpliciter contende-
bant hominis voluntatem esse liberam, &
posse benè, ac malè operari, non curantes
an possit ex se solum, an verò ex gratiæ
auxilio, quoniam de hoc non erat contro-
uersia, & quamuis adsit necessitas gratiæ,
non proinde destruitur liberum arbi-
trium. Ex quo Pelagius contendebat vo-
luntatem posse ex se, ad hoc institutum
adducens pias, & Catholicas sententias Hi-
larij, Ambrosij, Chrysostomi, imò &
ipsius D. Augustini. quas ille citato libro
explicat ostendens nullo modo fauere hæ-
resi Pelagianæ, sed ut ait, cap. 6r. ita esse
media, ut neque contra Catholicam sen-
tentiam sint, neque contra Pelagij, quia
scilicet de solo libero arbitrio loquuntur,
non de gratia, at vero, lib. 1. retract. cap.
9. cum plures sententias suas de libero ar-
bitrio recensuisset, adiungit. *In his, atq;
huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei com-
memorata est, de qua tunc non agebatur, putant
Pelagiani, vel putare possunt suam nostenuisse
sententiam, sed frustra hoc putant: dein-
de vero fufius ostendit simplicem asser-
tionem libertatis absque eo, quod fiat
mentio gratiæ, huius necessitatem non
tollere. Simile quid faciebant defensores
Theodori Mopsuestienfis Episcopi, qui,
ut auctor est Diuus Cyrillus in Epistola ad
Acacium Melitenf. Episcopum contende-
bant eum docuisse cõsona doctrinæ Atha-
nasij, Gregorij, atque Basilij: qui Patres
ante exortam eius hæresim interdum for-
tè appellarunt humanitatem templum**

Hieronym.

Iustinian.

Augustin.

August.

Cyillus.

Verbi, non quod Christum in duas personas diuiderent, ut patet ex ipsorum scriptis, sed ut diuinitatis, atque humanitatis differentiam ostenderent, quod illi falso assumebant tamquam dictum in fauorem Theodori.

V.

Quartum documentum est argumentum negativum non esse firmum ad conuellendum dogma aliquod, siue sententiam Theologicam. Argumentum negativum est, cum ex eo quod Patres aliquid non dixerint, aut hoc vel illo loquendi genere non vti fuerint, concludit aliquis id non esse asserendum, vel non vtendum hoc loquendi genere. Hoc autem argumenti genus in vniuersum est inutile, cum argumentamur ab auctoritate etiam diuina: nam quis ferat ita argumentum, Deus hoc non reuelauit, ergo non est? potest quippe esse quamuis Deus non reuelauerit, quamuis Concilia ac patres non dixerint: dum modo tamen oppositum non asserant. Verum enim uero si solum applicetur ad dogmata fidei, fortissimum argumentum est: nam si desit ratio formalis obiecti habitus, non potest obiectum materiale spectare ad habitum, ratio formalis fidei est diuina reuelatio, quam habemus in sacris literis ac traditionibus, colligimus ex sensu ac decretis Ecclesiae, & communi sententia Patrum, & proinde si quis ostenderit rem, de qua est controuersia, ex nulla huiusmodi auctoritate sumi, hoc ipso conuincet non esse dogma fidei. Verum in solis Patribus non est argumentum tanti roboris, quoniam fieri potuit, ut quia erat res praxi & usu recepta ex traditione maiorum, absque difficultate & controuersia, ipsi ea de re ex instituto locuti non fuerint, ac proinde non erit efficax argumentum, si quis arguat, Patres hoc non asseruerunt, ergo non est verum, aut non est de fide: nam multo maior est auctoritas sacrae scripturae, quam Patrum, & tamen, ut contra haereticos nostri temporis ostendunt scriptores controuersiarum, hoc argumentum non habet vim, hoc non continetur in sacra scriptura, ergo non est de fide: quandoquidem haberi potest ex traditionibus: similiter ergo illud quoque vim non habet, nempe hoc non dicunt patres, ergo non est verum, aut non est de fide: fuit autem familiare haereticis, quando à sanctis patribus, aut sacris concilijs alicuius erroris conuincebantur, confugere ad hoc asylum, nimirum Patres antiquos non ita dixisse, & ideo se non posse, aut debere ita credere: ita se tuebatur Eutyches ne diceret duas naturas in Christo, ut constat ex actione 6. Synod. Con-

stantinop. sub Flauiano Episcopo lecta in Ephesine, ipsa Synodo & relecta in Chalcedon. actione prima ante medium: ita nostri temporis heretici, ne multa dicant, quae tenet sancta mater Ecclesia; sicut autem antiqui heretici à sacris Synodis ac patribus, similiter recentiores à Catholicis nostri saeculi scriptoribus conuicti sunt, doctrinam ipsorum esse nouam, & à paterna Ecclesiae traditione abhorrentem, & patres stare pro vero, & Catholico sensu, quem tenet Ecclesia Romana.

Verum circa hoc documentum obseruandum est propter prophanas vocum nouitates, & haereses frequenter insurgentes in Ecclesia tamquam zizania inter segetes agri dominici, in Concil. Nicæno post editum fidei Symbolum statutum, ne quis aliam fidem edere, aut predicare auderet, ex quo haeretici sumebant occasionem, ut si quando contra insurgentes errores sacra concilia eandem fidem explicatius proponebant, & in particulari nouas haereses damnabant, assererent se tenere fidem Nicenam, nec admittere aliam fidem cum tamen ipsi eam peruersis suis dogmatibus destruerent, ut videre est in Concilio Chalcedon. actione 4. prope finem ex dictis Carosi, & Dorothei fautorum heresis Eutychianae, sub hoc etiam praetextu impius Nestorius in secunda Synodo Ephesine retractauit veram ac legitimam condemnationem Eutychetis, ut constat ex gestis inferis in Concil. Chalced. act. 1. porro alia fides dupliciter potest intelligi, nempe per contrarietatem, vel per additionem. Et quidem aliam per contrarietatem neque Ecclesia Catholica tenuit, nec sacra Concilia decreuerunt, neque sancti Patres vnquam docuerunt. Alia vero per additionem duobus etiam modis esse potest, primo quidem ita ut nullo modo explicite, vel implicite in fide Nicæna contineatur, altero vero ita ut, quamuis expresse non contineatur, sit tamen implicite, ita ut id, quod additur, sit potius explicatio eius, quod in Nicæno Symbolo continebatur implicite, quam noui dogmatis additio. Priori modo ex his nihil addi ad fidem potest, omnia enim continentur implicite in Symbolo Apostolorum, Nicæno, & alijs: Posteriori vero modo potest: nam quemadmodum Synodus Nicæna addidit Symbolo Apostolorum verba illa: *consubstantiali patri*, non quasi inducens nouam fidem diuersam à fide Apostolorum, sed propter impium Arii dogma explicare volens mentem Apostolorum vocantium Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ita sequentia concilia, & patres propter alia haereses

VI.

Concil. Nicæ.

Concil. Chalced.

hæreses de nouo insurgentes addiderunt
alia verba clarius exprimentia fidem Apo-
stolorum, & antiquorum Patrum, quod
exactè explicatur in Concil. Chalcedon.
act. 16. in responsione Synod. ad Martia-
num Imperatorem, vbi proponitur ob-
iectio hæreticorum aduersus Epistolam D.
Leonis quasi sit noua ac peregrina, &
ignota Canonibus antiquis, deinde vero
respondetur eiusmodi obiectioni, & ex-
ponitur causa vberioris expositionis my-
steriorum nostra fidei his verbis: *Sed quia
multi à recta linea per anfractus erroris exorbi-
tant, nouum quoddam sibi met iver mendacii con-
struunt, necesse nobis est veritatis eos inuentione
conuicere, commenta quoque eorum denia-
salutaribus adiectionibus refutare, non vt no-
uum ad pietatem, (quasi fidei desit) semper
aliquid exquirentes, sed vt contra, ea quæ ab
illis innodata sunt excogitantes quæ salubria
inducantur.* Deinde vero singillatim expli-
cant, quæ additiones siue explicationes
factæ sint ab alijs Concilij post Nicæn.
ad coercendam hæreticorum audaciam:
hoc ipsum traditur in definitione fidei
eiusdem Synodi, act. 5. vbi dicitur factam
propter hæreses vberiorum explicatio-
nem, non vero quasi patres iudicarent
aliquid deesse antiquæ patrum fidei. Ita-
que nè à præfenti instituto digrediar, non
est contra morem, aut consuetudinem
Ecclesiæ, mysteria fidei ab Apostolis, Con-
cilij, & antiquis patribus tradita, cum se
offert occasio, distinctius ac subtilius
Theologico more explicare, ita tamen
vt à fidei regula non discedamus: ideo-
que immerito nonnulli carpunt aliquos
Theologos, quasi noua dogmata indu-
cant, eo quod ipsamet antiqua dogmata
Theologica fortè enucleatius explicant.
Non sumitur ergo argumentum efficax,
ad conuellendam sententiam aliquam ex
eo, quod clarius, & expressius aliquid
dicitur, quod fortè apud antiquos non
est, dummodò tamen aliundè non pro-
betur regulis fidei, aut patrum doctrinæ
contrarium.

VII. Sextum documentum est, vt non su-
mantur nuda verba patrum, sed atten-
datur ipsorum mens, atque institutum
in eo tractatu, ex quo testimonia depro-
muntur. Etenim frequenter accidit, vt
patres contra hæresim aliquam disputan-
tes negent aliquas propositiones ad sen-
sum, quo ab hæreticis assumuntur, quæ
tamen alioquin in bono sensu veræ sunt
& Catholicæ: exempli causa Anomæi, qui
perperam affirmarunt naturam Dei à se in
hac etiam vita comprehendendi, utebantur

ad hoc ipsum significandum verbo, *viden-
di*, idcirco D. Chrysostom. & alij ex anti-
quis patribus aduersus hunc errorem
disputantes absolute negant essentiam
Dei videri posse ab vlla creatura, etiam
Angelica & beata. Ex quibus verbis iu-
dicare non debemus hos patres negare
dogma fidei certum, hoc est sanctos An-
gelos, & homines post hanc vitam vide-
re ipsam Dei essentiam, sed potius inter-
pretari eos debemus de visione compre-
hensiuâ, quam hæretici falso, & inaniter
sibi arrogabant. Quia hoc documentum
non attenderunt plerique hæretici, ad per-
uersorum dogmatum patrocinium assu-
mebant patrum testimonia scripta in sen-
su longè diuerso ab eo, quo ipsi ea accipie-
bant, Eutychiani enim, vt unitatem natu-
ræ post incarnationem assererent, ute-
bantur testimonijs patrum asserentium in
Christo non esse duas personas, sed vnum,
eundemque esse Dominum nostrum le-
sum Christum, perfectum Deum, & per-
fectum hominem, item vnus operatio-
nis assertores utebantur Dionys. Gregor.
& aliorum patrum auctoritatibus non se-
parantibus actiones humanitatis à Verbo,
quod sicut ratione naturæ assumptæ verè
est homo, ita quoque ratione eiusdem,
& humanæ voluntatis habet volitiones, &
actiones humanas. Consideranda itaque
semper est intentio auctoris, & iuxta ipsam
verba interpretanda, ad quod maximè
conducit verba omnia ingenuè propone-
re, nihil intercidere, sequentia & antece-
dencia considerare, cuius oppositum fa-
ciunt hæretici, qui sanctorum dicta trun-
ca ac mutila referunt omittentes ea, quæ
faciunt ad veritatis elucidationem, & sua-
rum hæresum impugnationem: vt vide-
re est in Synod. 5. Constantinopol. colla-
tione 8. & in 6. item Constantinopol. act.
8. vbi Macharius Antiochen. verba Diui
Athanasij non fideliter recitabat, sed ea so-
lùm, quæ pro eius sententia facere vide-
bantur, cum tamen ex antecedentibus, &
consequentibus in ipsomet Concil. osten-
sum sit Athanasium veram & Catholi-
cam sententiam tenuisse. Hac etiam in re
nonnulli Catholici minus cauti sunt, su-
munt enim ex patribus, ac doctoribus
ea, quæ ipsorum sententiæ fauere viden-
tur, & omittunt alia, quæ apertè con-
trariam docent: ingenui hominis est ve-
ritatem, quæ patrocinio falsitatis non in-
digeret, veris testimonijs tueri, & quæ con-
traria videntur, vel interpretari, vel mo-
desse reijcere, nec alienis coloribus vesti-
re doctrinam, quam alij diligentius expen-

Conc. Cōstant.

Hilarius.

dentes, & cum allatis auctoritatibus conferentes nudam postea, deformemque relinquant. Ad hoc etiam documentum pertinet illud, quod rectè monet D. Hilarius, lib. 1. de Trinitate post medium, scilicet sensum ne nostrum confirmare volentes ea, quæ legimus, ad illum detorqueamus, imò potius verum sensum ex lectione ipsa petamus: *Optimus, inquit, lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius quam impugnet, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpsit intelligendum.* Hæc in uniuersum pro patrum, & auctorum allegatione, & interpretatione hîc obseruanda duxi, quæ in progressu vsui erunt, ne in singulis hæream easdem semper solutiones confirmando, sed cum se obtulerit occasio, quodlibet ex præmissis documentis indicabo, ex quo eius, quæ tunc erit controuersia circa Patrum sententiam, breuiter expediri possit.

Vtilitas, ac vsus historiæ, non solum Ecclesiasticæ; sed profanæ inservit Theologo non tanquam principium discursus Theologici, sed tamquam explicatio terminorum necessaria ad intelligentiam principiorum fidei.

CAPVT XV.

I.
Canus.

NOtitiā, vsumque historiæ Theologo nō solum vtilem, sed necessarium pluribus ostendit Canus, lib. 11. de locis capite secundo, indicans multorum errores ex historiæ ignorance ortos. Quod argumentum, quia ipse susè prosequitur, & ab omnibus admittitur, non est cur ipse retrahem: solum hoc loco dicam quo genere historiæ vti, & quem ex ipsa fructum capere Theologus possit. Triplex est autē genus historiæ, nempe canonica, Ecclesiastica, profana. Canonicam voco, quæ sacris, & canonicis scripturis continetur. Ecclesiasticam, quæ agit de rebus gestis Ecclesiasticis. Profanam, quæ de Civilibus, siue ea à Christiano, & fidei auctore, siue ab infideli scripta sit. De canonica non est hic agendi locus: nam pertinet ad locum scripturæ, quæ continetur: cum enim gesta narrantur in sacris literis proprius, ac præcipuus sensus est historicus; qui est literalis, vt tradit Augustin. lib. vnico

August.

de Genesi ad literam, cap. 2. Diuus Thomas 1. p. quæstion. 102. art. 1. in corpore & de potentia quæstion. 6. art. 7. duo alia genera historiæ, quatenus ab humano auctore scribuntur, ad hunc locum spectant.

Id verò certissimum est auctoritatem humanæ historiæ à quocunque illa scripta sit, non constituere per se principium verè, ac propriè Theologicum, ita Canus, lib. 11. de locis, cap. 4. Conclusionem primam, & secundam, ubi ait præter auctores sacros nullum historicum certum, siue idoneum esse ad faciendam certam fidem in Theologia, sed tantum probabile argumentum suppeditare. Fundamentum sumitur ex dictis in tractatu de natura actus, & habitus Theologici: quos probavi esse certos, & eò solum deficere à ratione scientiæ, quia non sunt evidentes: omnis autem assensus discursiuus certus, necessariò requirit vtramque præmissam certam, vt patet: omnis item historia humana nititur incerto, ac fallibili motiuo, hoc est auctoritate scriptoris humani, qui fallere, & falli potest: quare nequit per se concurrere ad assensum Theologicum, etiamsi subsumatur sub aliquo principio reuelato. Quod intelligitur de omni prorsus historia non canonica, etiam à sanctissimis, & doctissimis viris scripta, vt constat ex doctrina Augustini, lib. 18. de Ciuitate, cap. 38. nam tractans quomodo in sacris literis referantur quidam libri historiales prophetarum, qui tamen vel non extant, vel in canone non sunt recepti, & redens causam sic ait. *Ego existimo etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus vir, spiritus reuelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione diuina scribere potuisse: atq; hæc ita fuisse distincta, vt illa tamquam ipsis ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.* Ex quibus verbis constat de sententia D. Augustini nullam scripturam, etiam à sanctissimis viris, ac prophetis propria induit, & conscriptam continere infallibilem, & canonicam auctoritatem, ad religionis, ac fidei nostræ dogmata firmanda. Ex quo perspicuum fit auctoritatem, quam habet canonizatio sanctorum, non per se desumi solum ex principio fidei, & narrationibus, & inquisitionibus iuridicis de vita, sanctitate, & miraculis sancti canonizandi ante canonizationem præmitti solitis: nam cum principium illud.

Matth.